

Petrum origine unitatis et ratione fundata (1); et alias sœpe eamdem veritatem inculcat. Consonat s. Cypriano s. Augustinus, dicens: *Et dubitabimus nos ejus ecclesiae condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab apostolica sede per successiones episcoporum, frustra hereticis circumlatrantibus, . . . culmen auctoritatis obtinuit* (2) ut alia innumera his similia Patrum testimonia prætermittam.

Ad 2 prop. partem, *super ipsos non minus*, etc. D. Sed diversa ratione, ut nuper declaravimus, C. eadem ratione N.

Ad 3. ad prolata nempe testimonia scripturarum, D. Fideles ædificati sunt super fundamentum, id est, super fidem prænuntiatam a propheta, et prædicatum ab apostolis, qui per prædicationem diversas ecclesias fundarunt, C. secus N.

I. Inst. 1. s. Cyprianus dicit: *Episcopatus unus est*, cuius a singulis in solidum pars tenetur (3); 2. idem præterea addit: *Hoc erant utique et ceteri apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædicti et honoris et potestatis* (4); et 3. s. Hieronymus: *Licet . . . cuncti (apostoli), inquit, claves regni celorum accipiant, et ex æquo super eos ecclesiae fortitudo solidetur* (5); ergo.

Resp. ad 4. D. A. *A singulis in solidum pars tenetur*, quoad individuam unitatem ipsius episcopatus et ecclesiae, quæ non dividitur per multitudinem episcoporum, qui cum Petro et sub Petro tenent et pascunt partem sibi commissam, C. quasi episcopi singuli episcopatum in solido tenerent N. Talem porro esse germanum sensum textus allati, patet ex verbis, quæ immediate præcedunt: *Quam unitatem, inquit, firmiter tenere et vindicare debemus, maxime episcopi, qui in ecclesia presidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus . . . episcopatus unus est*, etc. Ipsemet s. Martyr, scribens ad Cornelium, vocat: *Petri cathedram atque ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est* (6). Hinc illæ similitudines solis, unde radii, fontis, unde rivuli, arboris, unde rami exoriuntur, quibus passim ipse utitur

(1) Epist. lxx, ad Januarium.

(2) *De utilitate credendi*, cap. xvii, n. 35. Jam vero si ad hæc aliqua prope innumeræ antiquitatæ documenta, quæ adduci possent, animadvertisserint vel animadverterent protestantes, profecto tot nova systemata non excitassent vel quotidie excogitarent ad detegendam veram Christi ecclesiam, et constitutam a Christo religionem. Via enim brevissima nobis a partibus unanimiter proponitur, ecclesia Christi est illa, cui præsidet ut caput. Romanus Pontifex, Beati Petri successor et Christi vicarius, queaque a Christo ad nos usque perpetua successione pervenit. Hæc est via regia, quæ fallacie vel errori seu deceptioni obnoxia non est. Hæc obtinet summam auctoritatem. Ubi hæc abieciatur, nihil certi superest, nullum omnino effugium, per quod desperationem vitare possimus, ut ex dicendis magis patebit.

(3) *De unitate ecclesiae*.

(4) Ibid.

(5) Lib. i. *Cont. Jovianum*, n. 26.

(6) Epist. LV.

ad ecclesiæ naturam et unitatem designandam (1).

D. Hoc erant in dignitate apostolatus ac potestate extraordinaire, C. in potestate episcopali, subd. simul sumpti, C. seorsim sumpti N. Etenim hic s. Cyprianus non videtur spectare nisi solam dignitatem apostolatus, sub quo respectu dici poterant ceteri apostoli Petro aliqua ratione pares; etsi in hac ipsa dignitate, juxta eundem Cypriani, essent Petro subordinati; protinus enim subjicit: *Sed exordium ab unitate profiscitur, et primatus Petro datur, ut una Christi ecclesia et cathedra una monstretur*. Quod si adversarii contendant, loqui s. Martym de dignitate seu potestate episcopali, tunc dicimus sub duplice respectu tum apostolos tum episcopos considerari posse, quatenus nempe unum constituum corpus et individuum cum suo capite, et quatenus singillatim sumpti singularia membra sunt ejusdem corporis; sub primo respectu omnes utique pari potestate prædicti sunt, ut senatoriæ in senatu sub et una cum suo præside, qui omnes gaudent potestate supra, legislativa, etc.; sub altero respectu nullam aliam potestatem habent, quam eam, quæ eis conceditur seu communicatur; hæc autem extraordinaria potestas apostolos a Christo ipso data est cum subordinatione ad Petrum quoad exercitum, ut superius notavimus, episcopis autem quoad proprias dioceses a Romano Pontifice tribuitur ac communiciatur (2).

Ad 3. D. ut supra; etenim proseguitur ibidem immediate s. Hieronymus: *Inter duodecim unus eligitur (a Christo), ut capite constituto, schismatis tollatur occasio*.

II. Inst. Ecclesiæ orientales et apostolicæ independentes semper fuerunt ab ecclesia romana, seu a Romano Pontifice; ergo.

Resp. Neg. antec. Nam Romani Pontifices toties veram exercuerunt auctoritatem in ecclesiæ orientales, quoties sese obtulit occasio vel necessitas, ut pleraque ecclesiastica monumenta testantur, ipso factente Fleur (3). Et sane frequentes fuerunt recursus ad Apostolicam Sedem. Non raro sane patriarchæ alexandrinus, antiochenus, jerosolymitanus, Apostolicam Sedem adierunt; non raro ad ipsam appellatio[n]es detulerunt; non semel etiam ipsos patriarchas

(1) *De unit. eccl. loc. cit. Cons. in hunc textum s. Cypriani Bolgeni*, in opere inscripto *L'Episcopato*, cap. 2, n. 20, et cap. 6, n. 68 et seq. edit. Rom. 1824; et Petrus Ballerini, *De vi ac ratione primatus Rom. Pont. cap. 13, § 5. (Curs. compl. Theol., tom. 5, col. 1021.)*

(2) Cons. Mazzarelli, in *Dissertatione An Summus Pontifex habeat auctoritatem destituendi Episcopum invitum*, etc., inter dissertationes ejusdem selectas Romæ anno 1807 editas, n. 4.

(3) Opere citato. Cons. præterea Opusculum Domini Marchetti: *Del concilio di Sardica*, vol. 1, in 8, nec non eruditissimi fratres Ballerini, tum in cit. op. *De vi ac ratione primatus Romanorum Pontificum*, tum in annotationibus ad novam editionem operum s. Leonis Magni, operibus nunquam satis commentatis.

Romani Pontifices deposuerunt; s. Athanasius, a sua sede arianorum machinationibus expulsus, appellavit ad Sedem Romanam; s. Sophronius jerosolymitanus et Sergius constantinopolitanus in causa monothelitarum Romanum miserunt. In schismate antiocheno id ipsum factum est (1). Quod primis etiam ecclesiæ scâculis passim factum ipse Wetsteinus concedit, cùm demque assentitur Gibbon (2).

III. Inst. Non satis patet quandoque, quinam sit Romanus Pontifex legitimus; romana præterea ecclesia sœpe suo pastore caret, sede vacante; ergo in ejusmodi casibus ecclesia nullum habebit caput, nullum centrum.

Resp. Neg. conseq. In his enim casibus omnes ecclesiæ particulares communicant cum Sede Romana, quæ centri vices supplet, ut patet ex perpetua praxi. Negotia, quæ urgent, sic expediri possunt communis consensu tribunalium seu congregationum et Cardinalium, quando peculiari non indigent Romani Pontificis auctoritate, quæ alioquin tamdiu desideratur, docet novus Pontifex vel certus designetur. Qui bona fide tempore schismatis uni potius Pontifici dubio adhærent quam alteri, hoc ipso inculpabiles sunt, et virtualiter saltem germano seu vero unitatis capitii adhærent (3).

(1) Opere citato.

(2) *De lapsu Imp. Rom. cap. 21*, loquens de appellatione interposita a s. Athanasio ad Romanam Sedem, n. 1, refert animadversionem prudentia plementam, ut ipse vocat, Wetsteini (Proleg. n. 4, pag. 19): « Si tamen ecclesiasticam historiam velimus consulere, patet ibi inde a seculo iv, cum, enatis controversiis, ecclesia græca Doctores in duas partes scinderentur, ingenio, eloquentia, numero tamen non æquales, eam partem, quæ vincere cupiebat, Romanum configuisse, majestatemque Pontificis comiter coluisse, eoque pacto, oppressus per Pontificem et episcopos latinos adversariis prævaluisse, atque orthodoxiam in conciliis stabilivisse; eam ob causam Athanasius non sine comitatu Romanum petiti pluresque annos ibi hæsit. » Admissa in primis confessione adversariorum de usu appellationum ad Romanum Pontificem ex parte ecclesiæ orientalium, iv ecclesiæ saeculo, sciscitari possumus a Wetsteinio et Gibbon, quænam unquam pars sit, quæ vincere non cupiat? Certe ipse Nestorius vincere cupiens Romanum configuerat, at frustra; ratio est, quia, cum hæresim induxisset, que nunquam in Petri cathedralia locum habere potest, hinc nedum vinceret, vicitus est, ipsi obstante Romano Pontifice. Sciscitamus secundo, quomodo a Romano Pontifice et episcopis latinis opprimi potuerint Orientales dissidentes tempore persecutionum, quum tamen certum sit, jam in ecclesiæ saeculo Romæ accusatum fuisse Paulum somatosatum sub imperatore Aurelianō ob nominates quas disseminare coperat, atque a Romano Pontifice Paulum fuisse depositum, quod cum intellexisset imperator Aurelianus, qui ad episopum Romanum querelas sibi delatas remiserat, eum exilio mulctavit. Vid. Eusebius, *Hist. eccl. lib. viii, cap. 50.*

(3) Sane ecclesia nonnullos, qui falsis Pontificibus, errore decepti, adhæserant, fastis suis adscrīpsit. Juvat nonnulla hic exempla afferre. Die 31 Maii in *Martyrologio romano* mentio fit s. Paschasi, qui errore deceptus adhæserit schismati Laurentii antipape aduersus s. Symmachum, de quo sic scribit s. Gregorius Magnus, lib. iv *Dialog.*, cap. 40 et 41: « Qui enim non malitia sed ignorantia errore pec-

IV. Inst. Concilia Basileense et Constantiense non habuerunt Romanum Pontificem veluti unitatis centrum et caput; ergo.

Resp. Neg. antec. Haec enim Concilia, si tamen in decretis quæ Romani Pontificis auctoritatem spectant, œcumonica sunt, quod plerique jure negant, istud unitatis centrum in Pontifice ultro admiserunt; eorum disceptatio non erat nisi de amplitudine pontificiæ potestatis. Ceterum hac in parte concilium Basileense tanquam schismaticum vulgo habetur, Constantiense autem respicit tempus schismatis, atque passim quoad ista decreta rejicitur, vel saltē ut dubiæ habetur auctoritatis, ideoque nullius roboris (1), sed de his uberioris et ex professo in *Tractatu De locis theologicis*, ubi de Romano Pontifice.

PROPOSITIO VI. — *Quicumque quovis tempore, spiritus privati placita sectando, se opponunt ecclesiæ catholicæ magisterio, rebelles sunt, sectarii et novatores.*

Una est omnium hæreseon origo, systema videlicet spiritus privati (2), seu privatorum hominum, qui sese erigunt adversus legitimam auctoritatem, divinitus institutam ad fidem docendam, propagandam atque intemerate servandam usque ad consummatiōnem sæculi, quam solam esse ecclesiam catholicam præcedenti propositione ostendimus, ut sua propria sectentur placita (3).

caverat, purgari post mortem a peccato potuit. Vid. Baronius in *Notis ad Martyr. rom. loc. cit.* Sic sub die 5. Aprilis recensetur nomen s. Vincentii Ferrerii, quem schismati Benedicti xiii antipapæ, eodem errore deceptum, ad tempus adhæsisse constat. B. Petrus luxemburgensis vivere desit, quum adhuc adhæret schismati antipapæ Clementis vii, a quo creatus fuerat Cardinalis, et inter beatos a vero Pontifice ejusdem nominis, Clemente vii, adscriptus est. Vid. Raynaldus, ad annum 1457, n. 11, s. Antoninus, 3. part. tit. c. 2, § 1, cujus verba referuntur ab eodem Raynaldo, loc. cit. Giacconius, *Vitæ et res gestæ Pontificum Rom. et sanctæ Romane Ecclesie Cardinalium*, vol. i, fol. col. 1012. Romæ 1650, Bolland. *Acta SS. mensis Julii*, sub die 2 Julii, § 12, *Vindicia*, etc.

(1) Cons. opus Schelestrate: *De Conciliis Constantiensi et Basileensi*, in 4, nec non *Animadversiones Roncalie et Mansi*, ad *Hist. Eccl. Natal. Alex.* in diss. iv, sæculi xv, et xvi, in decreta sess. iv, et v Concilii Constantiensis, § 1 et seqq.

(2) Hic notanda est confusio nuper inducta a plerisque recentioribus scriptoribus, qui promiscue acipiunt has duas denominations *spiritus privati* et *rationis individualis*, perinde ac si idem significarent, at longe a se distant. Etenim *ratio individualis* in bonam partem accipi potest, cum homo etiam individualis recte ratione sua sit possit ad inquisitionem veritatis, et passim recte eadem utatur; at *denominatio spiritus privati* semper in malam partem accipitur, pro oppositione nempe rationis propria aduersus legitimam auctoritatem a Christo institutam, id est, ecclesiam catholicam; hinc factum est ut Bellarminus, Becanus, Bossuet, etc. aliquæ controversies nunquam impugnaverint *rationem individualem*, sed semper *spiritum privatum* protestantium.

(3) En verba, quibus Hegesippus omnium hæreseon originem declarat: *Ἐκάστος ὁποιος καὶ τρίποντας ἀπειπεῖται*; id est, *Qui (heretici) seorsim singuli proprias opiniones induxerunt*. Apud Eus. *Hist. eccl. lib. iv, c. 22*, qui præterea refert ex codic.

Christus, ut vidimus, soli ecclesiæ, nempe *dōcēti*, a se institutæ missionem dedit, eamque perpetuam constituit fidei depositariam ac magistrum cunctis gentibus. Ecclesia hac facultate utens per suos ministros auctoritative, ut ajunt, seu nomine ipsius Christi, quovis tempore omnibus gentibus sibi commendatas veritates tradit, ac suos filios edocet. Ille sicut ecclesiæ officium ac munus est *docere*, sic privatorum est *dūcēti et credere*, seu, ut loquitur Apostolus, *in capivitatem redigere intellectum in obsequium Christi* (II Cor. X. 5), seu fidei christiana, et *obedire fidei* (Rom. I, 5 et alibi passim). Fides proinde seu veritas *necessario* a legitima auctoritate est (1); hæresis contra seu error *necessario* a spiritu privato huic legitimæ auctoratiæ opposito. Hæc autem oppositio ex parte horum privatorum hominum necessario includit perduellionem, et quotquot ecclesiam catholicam deserunt, ut privatorum hominum placitis adhæreant, hoc ipso adhærent perduellioni, sectarii sunt, novatores vel novatorum participes.

De his novatoribus jam scribebant apostoli in concilio hierosolymitano congregati: *Quoniam audivimus quia quidam ex nobis excusantes turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandauimus, etc.* (Act. XV, 24); et Apostolus ad Galatas: *Sunt aliqui, qui vos conturbant, et volunt convertere evangelium Christi; sed licet nos, aut angelus de celo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit* (Gal. I, 8); et ad Thessalonicenses: *Rogamus vos,... ne quis vos seducat ullo modo* (II Thess. II, 5); atque ad Timotheum: *Eruunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemanti,...* *hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobirca fidem* (II Tim. III, 2 et seq.); denique, ut alia innumera his similia testimonia prætermittam, Christus ipse in Apocalypsi reprehendit atque objurgat episcopum Pergami, eo quod haberet in ecclesia sua *tenentes doctrinam nicolaitarum*. Ex doctrina igitur Christi et apostolorum isti omnes, qui insurgunt adversus legitimam auctoritatem, ut ipsius doctrinæ ac magisterio sua propria placita substituant, tanquam totidem perturbatores, seductores, evangelicæ doctrinæ corruptores, superbi, mente corrupti, reprobirca fidem, anathematizandi, sectarii, hæretici habendi sunt absque ullo discrimine; nam Apostolus loquitur etiam de iis, qui subsequentibus atatibus in-

Hegesippo, qui floruit sub Imperatore Hadriano, ipsum, cum Romam proficeretur, *Plurimos episcopos adiisse, et ab omnibus unam eandemque audiisse doctrinam*; *Οτι τὴν αὐτὴν παρὰ πάντες παρέλανε διατάλων ἀνούσια γε τοι πάρεστι*, etc. Unde patet perpetua unitas in ecclesia catholica, dissensio et divisio perpetua in sectis heterodoxorum.

(1) Praecclare s. Augustinus, lib. *De utilitate credendi*, cap. IX, cum hoc inter ecclesiam catholicam et hæreticos dixisset esse discrimen, quod ecclesia catholica venientibus ad se præcipiat fidem, hæretici autem prouidit rationem, concludit: « *Vera religio, nisi credantur ea, que quisque postea, si se bene gesserit dignusque fuerit, assequatur atque percipiat, et omnino sine quodam gravi auctoritatis imperio iniri recte nullo pacto potest.* » Ed. Maur, tom. VIII.

surrecturi erant, scribit enim ad Timotheum: *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, etc.* (II Tim. III, 1). Ergo omnes et singuli, qui quovis tempore, quovis colore ac prætextu, priorum novatorum vestigia sectantes, spiritus privati figurae opponunt recepta ab ecclesia doctrinæ, omnes, inquam, indiscriminatim tanquam rebelles, seductores, perturbatores, reprobi circa fidem hoc ipso sunt et erunt usque ad consummationem saeculi.

Et sane in rebus fidei, vel legitima standum est auctoritat vel spiritui privato. Si primum dicatur, cum nulla alia auctoritas legitima sit nisi ecclesia catholica a Christo instituta, quod jam demonstravimus, et cum omnes et singuli novatores, nullo facto discrimine, ab ecclesia damnati et proscripti sint, hinc omnes indiscriminatim rebelles et sectarii ex æquo sunt, incipiendo a nicolaitis, quos Christus ipse reprobavit, usque ad unitarios et methodistas. Quanam enim ratione methodistæ, unitarii, protestantes ausint sese præferre nicolaitis, gnosticis, cerinthianis, carpocratianis, arianis aut aliis hæreticis, quasi nempe illi erraverint, ipsi vero a veritatis tramite minime deflexerint? Quis judex erit? Ergo vel omnes pariter damnandi et reprobandi, vel omnes pariter ut veritatis cultores ac veri Christi discipuli habendi sunt; quod postremum cum dici non possit, nisi impie dicatur, tum Christum, tum apostolos errasse, dum hos insectati sunt et rejecerunt ab ecclesia communione, restat ut primum affirmetur. Nulla via media.

Quod si contendant adversarii, spiritui privato vel, ut in præsentiarum loqui malunt, rationi individuali uniuscujusque standum esse in negotio fidei, tunc frustra damnati fuissent omnes novatores seu hæretici a temporibus apostolicis usque ad nos; omnes admittere possemus errores non semel contrarios et contradictores, quos delira hominum quorundam ratio invexit; omnis prorsus veritas sie prolabetur; nullum jam dogma esset retinendum. In Deo tres essent personæ et una tantum; Christus Deus esset simul et non esset; dux essent in Christo naturæ et una solum; una esset in ipso persona et duplex; Deus auctor esset peccati et non esset; in homine esset liberum arbitrium et absoluta necessitas, etc. etc. vel saltem esset indifferens unicuique sic diversa, imo et contraria sentire et credere; et quod consequens est, cum identidem homines isti nonnihil novi induxerint etiam circa moralem seu practicam doctrinam, fas unicuique esset tanquam licita habere homicidia, adulteria, fornicationes, incestus, infanda denique omnia flagitia, quaum tum veteres tum recentiores approbarunt (1). Itane Ecclesia,

(1) *Fletcher's Works*, vol. m, p. 10, refert mogletonianos et labbadistas, qui sunt ex secta methodistarum, sub prætextu obsequendi interiori lumi, se flagitiosissimis impietatibus dedisse, prout adiuv faciunt nonnullis aliis sectæ methodisticæ. *Adulterium et homicidium*, inquit supranominatus Richardus Hill, non nocent filii Dei, imo sunt ipsis utilia. Peccata mea possunt Deo displicere, sed persona mea semper ipsi chara erit. Etsi magis peccarem quam Manasses,

a Christo instituta, erit sine dogmate et sine morali? Quorsum igitur revelatio? Ergo vel catholici vel rebellis, vel in ecclesia catholica vel in synagoga Sathanæ vel Christi vel Belial vel catholica fides vel quodlibet spiritus privati deliramentum, omnia contradictoria æque vera, æque laudanda sunt!

Ex his sequitur 1, quod quicunque protestati sunt adversus ecclesiam catholica, protestati fuerint adversus veritatem et adversus Deum ipsum.

2. Quod, cum protestantismus sit actus rebellioris aduersus ecclesia auctoritatem, quotquot hæretici fuerunt et sunt, totidem fuerint ac sint protestantes, ejusdem nempe criminis rei, et ipsis idem convenerat nomen.

3. Quod, cum Protestantismus vox sit negativa, significans actum protestationis aduersus articulos fidei ab ecclesia definitos, fiat ut, quo quis minus credit, seu quo plures articulos rejicit, eo magis sit protestans, eique magis conveniat talis denominatio, ita ut perfectus incredulus ac rationalista sit perfectus protestans.

4. Quod protestantismus partialis sit plena et formalis incoherencia; si enim regula fidei est spiritus privatus, nulla est ratio cur vel unus fidei articulus admittatur ob ecclesia auctoritatem. Hinc protestantismus partialis non est status consistentiae; quisquis enim a fide catholica recesserit, ille profecto in nullo statu medio diu permanebit, sed deistarum vel ad rationalistarum partes accedit; et sane deismus ac rationalismus sunt naturalis ac ultimus fructus protestantismi (1).

non ideo minus dilectus filius Dei essem, quia semper me videi in Christo; exinde fit, ut inter ipsa adulteria, incestus et homicidia possit ad me verba convertere: *Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te* (Ibid. vol. iv, p. 97). Etsi ego vituperos, qui dicunt: « *Peccamus, ut in nobis gratia abundet*, attamen, his non obstantibus, adulterium, incestus, homicidium me sanctiore reddent super terra et gloriore in celis» (Fletcher Duybeny's Guide to the Church pag. 82). D. Milner (*Letters to a Prebendary*) refert et ipse Salmonem quemdam, ministerum apud Conventry, populum docuisse jurare, blasphemare, liberumque laxare frenum excessibus omnibus. Quoniam abhorret animus ejusmodi excessus recensere, qui plura cupit præter citatos autores, consulere potest ipsos scriptores protestantes, Trembley, *Considérations sur l'état présent du Christianisme*, pag. 239, et Baronem de Starck, *Entretiens philosophiques sur la réunion des différentes communions chrétiennes*, traduits de l'allemand, Paris 1818, præsertim pag. 285, ubi refert excerptum cuiusdam dissertationis *De s. Pauli christianismo*, auctoris anonymi, insertæ in *Repertorio Semleri*, in qua auctor præfert ethnicum christiane religioni, et § 5. querit: « *Si le rétablissement de la religion des Grecs et des Romains ne serait point le meilleur parti qu'on pût prendre.* » Id ipsum præstiterunt magistri populi seu pastores, ut constat ex nota 72 operis Thiess; sic imitati sunt nonnullos philosophos gallos, nominatum vero Raynal, qui in sua *Historia philosophica amare queritur* *De ce que la Croix de J.-G. avait remplacé les divinités riantes de Rome et de la Grèce*. Si tamen hoc opus citati auctoris fœtus est.

(1) Leibnitius merito prædictus, in epist. inedita ad Arnaldum, atheismum vel saltem naturalismum perstremam hæresium fore: « *Il est vraiment à craindre*

DIFFICULTATES.

I. Obj. S. Cyprianus aliisque quamplurimi africani episcopi dissentiebant a Romano Pontifice, ideoque ab ecclesia universalis, circa valorem baptismi hæreticorum, nec tamen rebellis habiti sunt. Sic semipelagiani, licet errarent circa gratia necessitatem ad initium fidei, non propterea damnati sunt. Frequentes sunt, in ecclesia ipsa catholica, concertationes circa fidei articulos, divise scholæ sunt thomistarum, congristarum, augustinianensium, etc., nec propterea alterutra contendentium pars rebellis censemur. Jam ipse Apostolus scripsérat: *Unusquisque in suo sensu abundet* (Rom. XIV, 5); necesse propterea non est auctoritati acquiescere in iis, quæ ad fidem pertinent.

Resp. D. Ante expressam ecclesia definitionem, quidem sub anathematis poena latam, C. post ejusmodi definitionem N. Aliud est errare, aliud in proprio sensu persistere, seu resistere legitimæ auctoritati definiti. Jam vero citati africani episcopi errabant quidem ante expressam illam definitionem; cum tamen dubium fortasse adhuc superesse posset, num ipsorum doctrina contraria esset ecclesia doctrinæ, innoxii erant; non autem post ejusdem ecclesia definitionem, cui se re ipsa submisserunt. Nec illud omittendum est, quæ questionem illam rebaptizantium spectatam ab illis fuisse, juxta non paucos eruditos, ut quæ questionem potius disciplina quam fidei (1). Hinc factum putamus, ut nonnulli, etiam post concilium nicænum, perrexerint consuetudinem illam inveteratam in suis ecclesiis retinere, ut suo loco dicemus.

Semipelagiani nunquam sectam constituerunt, vix enim s. Coelestinus Pontifex dederat rescriptum suum ad controversiam illam dirimendam, cum statim omnes, quos error ille inficerat, eidem decreto ultra adstipulati sunt.

Atque hinc responsio patet ad difficultatem pettam a concertationibus theologorum. Ejusmodi enim domestica concertationes, quæ, salva charitate, in scholis catholicis libere agitantur, fidem seu fidei articulos ab ecclesia definitos nullatenus attingunt, sed modum tantummodo ac rationem nonnulla explicandi; præterea omnes theologi catholici parati sunt privatos sensus subjicere ecclesia definitioni, si qua ab ipsa daretur (2).

que la dernière des hérésies ne soit l'athéisme, ou du moins le naturalisme. » *Vid. Exposition de la doctrine de Leibnitz sur la religion*, Paris 1819, p. 415. Eventus veritatem prædictionis ostendit.

(1) *Vid. Bolgani*, in opere *Risposta al quesito cosa è un appellante?* Testo. x.

(2) Atque hinc patet mala eorum fides, qui, ad cohonestandas proprie sectæ divisiones in rebus fidei, in medium afferunt dissensiones theologorum catholicorum, non advertentes ingens interesse discrimen inter divisiones et placita hereticorum, quæ oriuntur ex defectione a legitima auctoritate, ac subrunt fidem ipsam, et accidentales, ut ita dicam, levesque dissensiones theologorum, qui in fide unanimes sunt, et quorum controversiae agitantur circa ea, quæ nondum ab ecclesia definita sunt. nec habent pro

Ad verba Apostoli : *Unusquisque*, etc. *D.* circa aliquam proxim præsternum disciplinæ, quam ecclesia liberam unicuique reliquit, *C.* in rebus fidei definitis *N.* Hoc enim inauditum in ecclesia est, et Apostolus, ut patet ex contextu, loquitur de libera discretione ciborum et quorundam legalium observatione.

II. Obj. Spiritus evangelii est spiritus libertatis; et sane Christus, cum in mundum venit, præstis erga degenerem judæorum religionem, quod postea Lutherus efficere tentavit in ipsa religione catholica, tunc temporis sœde immutata per usurpationes papales et insectatorem monachorum spiritum medio ævo (1); ergo.

Resp. D. A. Spiritus evangelii est spiritus libertatis a lege mosaica ac legalibus observantibus, vel per oppositionem ad spiritum servitutis et timoris legis mosaicae, *C.* est spiritus libertatis, ita ut liberum unicuique sit credere, sentire et innovare in rebus fidei, prout magis libet *N.* Absurdum enim esset libertas illa credendi quodlibet, verum aut falsum, fidemque omnino destrueret.

Ad probationem, **Neg.** impiam et blasphemam comparationem. Ecquis enim, nisi deista vel atheus, impurum ac sclestissimum apostamat, qui immani arrogantia inconsutilem Christi vestem, id est, ecclesiam, dilacerare aggressus est, per rebellionem filiorum adversus propriam suam matrem omnia susque vertendo, audeat comparare cum unigenito Filio Dei, qui non venit solvere legem, sed adimplere (Matth. V, 17)? Ubinam signa inveniuntur ejus missionis? Ubi vaticinia, ubi miracula? Nisi per summum nefas velis inter ipsius prodigia satanicum plane furem, fornicationes, adulteria, sacrilegia recensere (2).

Quod si Christus abrogavit legem cæmonialem et judicialem, substituendo umbrae ac figuræ rei veritatem, necessario debuit vetus pariter sacerdotium abrogare, lex enim et sacerdotium relativa sunt; at tamen novum in se sacerdotium instituit ac sempiternum, cuius ministros voluit perpetuari in ecclesia sua per continuam successionem, usque ad sæculi

objecto nisi diversam rationem exponendi ea quæ ad fidem pertinent, salva semper fide ipsa.

(1) Ita auctor operis *Chronologie universelle*, vol. 100. *De la Bibliothèque du citoyen du xix siècle.*

(2) Vid. Lessius, in *Consultatione: Quæ fides et religio sit capessenda*, Consid. ix, quinta ratio ex vita et morum conditione; ubi pessima Lutheri et Calvinii vita in propatulo ponitur. Quod attinet ad miracula Lutheri nemo id ignorat, quod testis ocularis refert Frid. Staphylus, in *Absoluta apologia*, pag. 404, de Luther anno 1545, exorcizante quamdam juvenem de Misnia Wittembergæ; ea nempe ratione, qua (Act. xix, 16) in filios Scœvæ dæmon insiliit, sic insiliit in Lutherum ejusque socios, nec levi illos danno affectit. Staphylus, quum Lutherum magistrum suum jugulo a dæmon arreptum consiperet, et fugam moliens serram recludere non valeret, securum a clero per fenestras injectam adeptus, fores excidit salutique sue et incolumenti consuluit. Cons. Baddely, *A sure way to find out the true religion*, Boston 1831, pag. 66.

consummationem, cum potestatis plenitudine, quam in episcopatu, sensu jam exposito, collocavit.

Si aliquot præterea abusus in ecclesia (1) circa disciplinam vel individuorum mores identidem exoriuntur, quis poterit tales abusus extirpare, nisi ecclesia ipsa, que sola talem a Christo auctoritatem nacta est? Nunquam privatorum est potestatem in ecclesia Dei exercere. Ii proinde qui sibi ejusmodi jus arrogant, tanquam sacrilegi et perduelles habendi sunt, ac detestandi veluti profani usurpatores, si fidem approbatam ab ecclesia mutare volunt.

III. Obj. Scriptura ubique supponit liberam doctrinæ discussionem et examen ex parte fidelium, qui debent probare utrum spiritus ex Deo sint, ut prescribit apostolus Joannes (I Joan. IV, 1); quibus præterea injungit Paulus : *Omnia probate, quod bonum est tenete* (I Thess. V, 21); qui cavere debent, ne quis eos seducat (Coloss. II, 18); quique jubentur omne exterum excludere magisterium, cum Spiritus Sanctus unumquemque interius doceat ad fidem necessaria: *Non necesse habetis*, inquit Joannes, *ut aliquis doceat vos; sed uictio ejus (Christi) docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo* (I Joan. II, 27). Quod sane consonat veteri propheticæ, in qua dicitur : *Ponam universos filios tuos doctos a Domino* (Joan. VI, 45, coll. Isaiae LIV, 13); quod quidem vaticinium suum adimplementum in Novo Fœdere habuisse tradit Christus, qui propterea vetuit, ne quispiam ex discipulis suis vocaretur magister : *Quia magister vester, inquit, unus est Christus* (Matth. XXIII, 10); ergo.

Resp. 1. N. A. Nihil quippe evincunt adducta testimonia, quæ alio sensu semper intellexit ecclesia.

Resp. 2. Neg. Ant. Ad quatuor vero priores probationes, *D.* Et allata testimonia speciatim tendunt ad excludendum sistema spiritus privati, *C.* ad illud cohonestandum, sive ad excludendum ecclesiæ auctoritatem *N.* Etenim allati textus induci sunt ad præmonendos fideles, ut caveant a privatis et suspectis doctoribus, qui, cum apostoli adhuc in vivis essent, jam cœperant hac illac disseminare falsa dogmata, ac puram apostolorum doctrinam corrumpere. Quapropter ipsi, utpote vigiles pastores, gregem sibi commissum perpetuo monent de imminentib[us] periculo, ac de necessitate obsequendi legitimis auctoribus.

(1) Vid. Mazzarelli in præclaro opere, *Il buon uso della logica in materia di religione*, tom. I, edit. Florentia 1821, opus II, cui titulus est : *Abusi nella chiesa*; scite Cl. auctor distinguens inter *abusus ecclesia et abusus in ecclesia*, merito negat, vel aliquando existisse, vel extare posse abusus ecclesiæ, seu totius ecclesiæ corporis, nisi Christus promissis suis potuerit deesse; abusus enim quolibet ecclesia nunquam probavit, sed perpetuo damnavit atque proscriptis, iuxta illud s. Augustini effatum : *Ecclesia Dei inter multam paleam, multaque zizania constituta, multa tolerat; et tamen quæ sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit* (Ep. 55 ad Januar.). At fatetur, abusus esse in ecclesia, semperque aliquot luisse, et futuros esse, quia cum ex nonnibus ecclesia coalescat, qui fragiles sunt et infirmi, impossibile est, ut nemo sit, qui humana non patiarit.

ritati, si immunes ab erronea doctrina et seductione esse velint. Subdit enim inter ceteros B. Joannes : *Hæc scripsi vobis de iis, qui seducunt vos* (I Joan. II, 26). Apposite Bellarminus, lib. 5. *De verbo Dei*, cap. 10, ad argumentum 12, inter cetera habet : *Hæc scribit s. Joannes, quomodo si catholicus aliquis scriberet catholicis, qui ab hereticis ob siderent et perturbarent; non necesse habetis, ut aliquis lutheranus vel calvinista doceat vos doctrinam Christi; omnino enim quæ vos scire oportet jam didicistis et tenetis ex prædicatione ecclesiæ, adjuvante unctione Spiritus Sancti.*

j Ad 5. probationem, *D.* Christus in adductis verbis vanam excludit nominis gloriam, *C.* excludit magistros ab ecclesia *N.* Alioquin quomodo dixisset apostolis : *Euntes docete?* Ex eo autem, quod se unum magistrum prædicet non sequitur quod excludat ecclesiæ magisterium. Opportune enim observat s. Augustinus magistrum proprie ac præcipue illum dici, qui doctrinam a seipso habet, non vero item illum, qui doctrinam ab alio acceptam ceteris tradit. Ecclesia autem non aliud filios suos docet, quam quod didicit ab ipso Christo.

Inst. Apostolus inquit : 1. *Non dominarum fidei vestræ* (II Cor. I, 23); et 2. : *Spiritualis homo judicat omnia, et ipse a nemine judicatur* (I Cor. II, 15); ergo.

Resp. ad 1. *D.* Non dominarum, id est, non intendimus ob prædicatam vobis fidem arbitriarium in vos exercere dominatum cum ostentatione potestatis, *C.* non intendimus germanam in vobis fidem conservare *N.* Ut patet ex scopo et contextu istius capituli, et prout ipse exponit Rosenmüller (1). Et sane solus Deus est, qui dominatur fidei nostræ; ecclesia nos non docet nisi ea, quæ Deus revelavit.

Ad 2. *D.* Judicat omnia judicio privato, quod tamen non dissentiat ab ecclesiæ magisterio, *Tr.* judicio definitivo ac independenter ab ecclesiæ auctoritate *N.* Addendum, non deesse qui ita explicit citatum textum, ut hinc falsum ostendant ethnicon vel profanorum judicium de religione christiana; nullus enim christianus erroris circa doctrinam quam profiteretur argui potest (2), et sane congruit contextus. Sed dato etiam, quod de christiano a Spiritu Sancto interius edocto sermo sit, sciri nunquam potest certitudine fidei, quinam ejusmodi homo spiritualis sit.

IV. Obj. Ea, quæ ad salutem spectant diligenter examine ponderanda ac discutienda ab unoquoque sunt, nisi velimus ipsum naturæ jus prorsus violare; liberum ergo unicuique erit ecclesiæ judicio adhærere, vel ab eo recedere, quoties conscientia aliud suadet.

(1) In hunc locum, cui præverat Bern. a Piconio; si quid enim boni in suis commentariis habent protestantes, id a nostris mutuati sunt, nec unquam fere fontes indigitant. Hoc prælare ostendit Dr. Petrus Fourer. Ackermann Canonicus lateran. in opere, quod inscribitur *Prophetæ minores perpetua annotatione illustrati*, Viena 1850.

(2) Cons. citatus auctor in hunc locum.

Resp. D. A. Antequam fidem christianam quis amplectatur, seu quādū infidelis est, jus habet inquirendi in motiva credibilitatis, *Tr.* postquam fidem suscepit *N.* Fideli enim nullum dubitativum, ut volunt, examen permititur, quod cum vera fide consistere nequit. Permittit tamen iis, qui idonei sunt, examen tantum discretionis, ut magis magisque se in side confirmant.

Inst. Saltem unicuique examen dubitationis licet instituere circa veram ecclesiam, alioquin se queretur, quempiam posse, imo et debere, sectæ, que christiana dicuntur, et in qua natus sit, adhærere, quod est absurdum. Quod si examen dubitationis necessarium est ad veram Christi ecclesiam dignoscendam, quidni etiam ad cetera fidei dogmata discutienda?

Resp. D. M. Unicuique licitum est examen dubitationis circa veram ecclesiam, imo necessarium iis omnibus qui extra catholicam ecclesiam versantur, *C.* cathelicis *N.* Ratio summae disparitatis inter utrosque ex eo patet, quod catholicis per examen discretionis evidētia morali constet de perpetua et nunquam interrupta successione episcoporum ab apostolis usque ad nos, prout omnia publica monumenta testantur. Contra vero eadem morali evidētia constat omnibus sectariis de epocha, in qua ipsorum maiores ab eadē ecclesia discesserunt ad novam se ciatatem instituendam, quæ se opposuit tum auctorati tum fidei quam reliquerunt, vel a qua ob suam perviciaciam expulsi sunt. Ideoque primi certi sunt, et quidem certitudine fidei, de infallibilitate proprie ecclesie, cui promisit Christus se adfuturum usque ad consummationem sæculi; sectarii autem nunquam sibi hanc infallibilitatem possunt polliceri, nisi velint sibi arrogare, quod denegant ecclesiæ universæ quam deseruerunt. Hinc catholici ex propriis principiis dubitare non possunt, sectarii autem ex propriis principiis dubitare debent. Verum de hoc arguento alias iterum agemus.

PROPOSITIO VII. — *Iis, qui auctoritatem rejiciunt catholicæ ecclesiæ, ut spiritus privati placita sectentur, nulla est vera fides, sed opinio tantum vel dubium.*

Ut omnis tollatur amphibologia, antequam manum admoveamus ad veritatem enunciatae propositionis evincendam, præmittimus :

1. Ex recepta apud omnes doctrina, actum fidei bisariam constare, tum nempe ex objecto. ut volunt, materiali, cuiusmodi sunt veritates ipsæ revelatae, tum ex objecto formalí, seu motivo, auctoritate scilicet et veritate Dei revelantis, quæ quidem duo una cum divinæ gratiæ auxilio requiruntur et sufficiunt ad actum fidei theologicæ constituendum. Quum proinde dicimus respectu eorum, qui auctoritatem ecclesiæ catholicæ rejiciunt, ut sectentur placita spiritus privati, nullam dari fidem, id intelligimus ex defectu regulæ proximæ universalis atque infallibilis, quæ nobis tuto proponat tum veritates revelatas tum verum sensum revelationis, ita ut circa objectum mate-